



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

154 Collator superior an hic propter moras possit aliquid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Respondet ex aliis non malè Rebuffus d. tit. de permutat. nu. 39. cum neque vacet hic pastoratus proprius, neque tempus vllum certum sit à iure præfixum permutationibus implendis, nullas adhuc superioris collatoris esse partes, in conferendo scilicet: verùm si res extrahatur nimium, superioris est curare vt res vel expediatur vel in nihilum redigatur. quæ quidem quæstio de perficiendis beneficiorum permutationibus, etiam post vtriusq; permutantis resignationem Episcopo collationem differente, generalis est; à Federico Senensi luculenter explicata d. suo tractatu quæst. 29. Lepidæ porro quæstionis est, quid si permutantium alter qui permutationem non impleuit & cuius beneficium alteri compermutantium iam collatum est, inter has alterius moras moriatur (post viginti tamen dies à permutatione lapsos ob Regulam Cancellariæ 18.) quònam deueniat beneficium hoc alterius nondum resignatum vel quid eo fieri debeat? Sanè si de beneficiis huiusmodi quærat in incompatilibus, dubium non est quin prius beneficium superstitis ipso iure nunc vacet per alterius adeptionem pacificam iuxta d. capit. de multa. §. de Præbend. At si de simplici quærat defuncti compermutantis beneficio iam superstiti compermutanti collato, vel etiam de alterutro non simplici (sufficit enim simplex esse dumtaxat alterutrum) superstes vtrumque retinere summo iure poterit; nisi quatenus religione plura-

154

Collator superior an hic propter moras possit aliquid.

155

Quid si moriatur is qui permutationem impleuit priusquam sibi vicissim impleatur?